

XXIV. Sed quid si Jus patronatus non sit *merè* laicale; sed mixtum? Nec tunc sub reservatione generali aut hujus Regule contineri communiter resolvunt Canonistæ; præsertim quando Patroni *laici* habent *majorem* aut æqualem partem vocum in dicto Jure patronatus mixto, uti loquitur Gonzales *n. 15. Rationem dat n. 12.* Nam favorabilibus potius est attendenda qualitas laicalis: ne laicus propter Clericum perdat suum privilegium. Hoc enim æquum est, quod in re individua non patiat, quod in præjudicium ratione societatis, quæ illi cum altero communis est.

XXV. Quidni & hæc ratione merito à reservatione eximatur Jus patronatus laicale *mixtum*; licet pars vocum Patronorum Ecclesiasticorum esset *major*; veluti si ad unum laicum & duos Clericos pertineat: quod & notoria praxis Belgii confirmat, quamvis de Jure contrarium credit Gonzales *n. 16.*

XXVI. Teste Garcia De Benef. *parte 5. c. 1. n. 57.* Beneficia Juris patronatus Ecclesiastici ab hac aliisq; reservationibus eximuntur in Hispania, præsertim (ait) in his regnis Castellæ; atque indifferenter Beneficia Juris patronatus, etiam Ecclesiastici ad præsentationem Patronatorum providentur *in partibus*, in quocumque mens se vacaverint, ut videmus quotidie.

Hæc consuetudo Hispaniæ à Belgica non omnino discrepat. Videmus enim & hæc in partibus ad Patronorum etiam Ecclesiasticorum *particularium* præsentationem, Beneficia in omnibus mensibus conferri.

XXVII. De Beneficiis certo generi personarum conferendis, an contineatur sub generali reservatione, dubitatur: aliterq; Covarr. *Præf. qu. Cap. 36. n. 4.* quod si Beneficia patrimonialia, vel Canonicatus Cathedralium Ecclesiarum, qui Theologis Magistris vel Juris Pontificii Doctoribus ex electione sunt conferendi, apud *Sedem Apostolicam* vacaverint, non facile admittitur derogatio hujus privilegii, vel consuetudinis, nec recipitur summi Pontificis collatio in præjudicium Ecclesiarum, quibus maxima utilitas comparatur, si ad unumquem & exactè jura ista serventur. Hæc ille, qui adducta auctoritate Glossæ aliorumq; Doctorum pro hac interpretatione, nihilominus diffiteri non audeat, opinionem istam dubiam esse, quoad hæc *patrimonialia* beneficia & Canonicatus, propter verba illius reservationis, cujus mentio fit in *Cap. 2. De Præbendis in 6.* quæ ad eodè generalia sunt, ut & hæc Beneficia comprehendere videantur.

XXVIII. Tum pro resolutione dubii subjungit hoc notandum monitum: Propterea lectorem admono hac in controversia, quod diligenter observet, quid praxi receptum fuerit, & quid in Christianæ reipublicæ, ac ministerio divino conducibilis, si quidem admodum conducatur, hæc Beneficia non comprehendi ullis reservationibus.

XXIX. Antonius Faber ad *Definitionem 11. lib. 1. titulo 2.* apponit hanc notam *n. 3.* Observa eo jure nos uti, ut simplicia Beneficia possint in *quolibet* mensse conferri, ab Ordinario, licet verba Regule De reservatione mensium sint generalia, & loquantur de beneficiis omnibus sive cum cura sint, sive etiam sine cura: ideo fortasse quod facile capienda sit interpretatio per quam unamque res redeat ad suam naturam. Prima autem Beneficiorum natura illa fuit ut omnia & quocumq; mensse conferri possent per Ordinarium. At potius quod æquum non sit, pauperem Ecclesiasticum pro simplici Beneficio obtinendo tantis sumptibus onerari, ut cogatur ire aut mittere Romam, in eamq; rem plus fortassis impendere quam multorum annorum reditus ferre possit.

Per simplicia Beneficia indubiè hic intelligit Faber Beneficia, quæ antonomastice vocantur *simplicia*, ut sunt Capellanæ de quibus supra *tit. 20. c. 2.* quæ & in Belgio

in multis Ecclesiis in *omni* mensse, tamquam à reservatione liberæ, conferuntur.

XXX. Regula comprehendit Beneficia non tantum vacantia per mortem; sed quocumq; modo. Unde omnis modus vacationis includitur; modo revera tamen Beneficium vacet. Excipit tamen modum per resignationem.

XXXI. Cum autem in omni Beneficiorum permutatione includatur aliqua resignatio *in favorem* permutationis; ita ut permutatio nihil aliud sit, nisi quædam reciproca resignatio quæ fit inter utrumq; permutantem, ideo & vacationem hanc excipi credunt Interpretes; uti notat Chokier *Glossa 7. n. 6.* qui *n. 7.* addit & hanc rationem: Quia reservatio est juris communis correctoria; eoq; restringenda est, & propterea quoad effectum reservationis, Beneficia renuntiata ex causa permutationis, non dicuntur *verè* vacare.

CAPUT VI.

De Alternativa.

1. Regula de reservatione mensium secunda sua parte continet relaxationem qua vulgo dicitur Alternativa.
2. Refertur textus Regule.
3. Regula quoad hanc partem quæ ratione favorabilis.
4. Alternativa solis Episcopis hodie competit.
5. Nec Abbates Episcopalem auctoritatem habentibus.
6. Neq; Capitulo Sede vacante conferendi Beneficia ad liberam Episcopi collationem spectantia.
7. Alternativa tantum datur Episcopis residentibus.
8. Verba Regule prout hodie exprimitur, requirunt veram & personalem residentiam.
9. Absens à Diocesi etiam ex justa causa & ad modicum tempus non gaudet alternativa juxta rigorem Regule.
10. Judicatum quod Episcopus absens ex urgente causa ad duos dies non gaudeat alternativa.
11. Non sufficit quod habeatur de jure pro residente.
12. Rigor ille non ubique receptus.
13. Episcopi ut alternativa gaudeant, eam acceptare debent.
14. Gratia alternativa est personalis respectu Episcopi acceptantis.
15. Episcopus acceptat à alternativa non potest sine licentia Sedis Apostolicæ renuntiare, & ad quatuor menses redire.
16. Episcopus non residens acceptat à alternativa non gaudet jure 4. mensium.
17. Episcopus demum uti potest Alternativa, quando litteræ acceptationis à Datario sunt receptæ.
18. Formula litterarum acceptationis.
19. Formula testimonii naturalis.
20. Testimonium Datarii de facta acceptatione.
21. Quoad Beneficia qua vigore Alternativa Episcopus liberè conferre potest, Regula restricta est.
22. Regula hodierna non permittit vi alternativa conferri, nisi Beneficia ad solius Episcopi liberam collationem spectantia.
23. Ex restrictione Regule videtur factum, quod Episcopi in collatione Beneficiorum non debeant petere consilium Capituli.

Regula quæ hodie vulgò dicitur Regula octava De reservatione mensium duas partes continet, quæ olim separatas regulas conficiebant; quemadmodum monet Chokier in proemio Regule *n. 20.* quarum primà reservantur provisioni Pontificis Beneficia vacantia in *octo* mensibus; posteriore verò parte, quæ incipit

incipit à verbis: *Insuper Sanctitas sua*, relaxatur hæc reservatio in favorem Episcoporum in suis Diocesisbus residentium, quoad *duos* menses; ita ut sex menses liberi maneat; atq; Episcopi alternativè menses habeant cum ipso Papa: quæ gratia propterea vocatur Alternativa.

II. Exprimitur autem in modernis Regulis hæc formula: *Insuper Sanctitas sua* ad gratificandum Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis intenta, & ipsis quamdiu apud Ecclesias, aut Dioceses suas verè ac personaliter residerint dumtaxat, de omnibus, & quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis cum cura & sine cura, secularibus, & Regularibus ad liberam ipsorum, dumtaxat, non autem aliorum cum eis dispositionem, seu præsentationem, vel electionem, nec etiam cum consensu, vel sensu, seu interventu Capitulorum, vel aliorum, [aut aliarum pertinentibus] quæ antea in mensibus Februario, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & Decembris extra Curiam ipsam vacare contingerit [dummodo alias dispositioni Apostolicæ reservata, vel affecta non fuerint] liberè disponendi facultatem concessit. Ac etiam voluit ut si ipsi in collatione, aut alia dispositione Beneficiorum, in aliis sex mensibus, videlicet Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris, & Novembris vacaturorum (quæ etiam dispositioni suæ, ut præfertur, reservavit) seu etiam aliorum dispositioni suæ, & dictæ Sedis aliàs quomodolibet reservatorum, vel affectorum se intromiserint, aut quominus provisiones, & gratia Sanctitatis suæ de illis debitum effectum consequantur, impedimentum quoquo modo præterierint, usu, & beneficio prædictæ facultatis eo ipso privati existant, ac collationes, & alia dispositiones de beneficiis illius prætenu deinceps faciendæ nullius sint roboris, vel momenti. Illi verò qui gratiam alternativè prædictæ acceptare voluerint, acceptationem hujusmodi per patentes litteras manu propriâ subscripserint, luoq; sigillo munitas, & in sua quisq; Civitate, vel Diocesi datas, declarare, & litteras ipsas huc ad Datarium Sanctitatis suæ transmittere teneantur, quibus ab eo receptis, & recognitis, ac in libro ad id deputato registratis, tunc demum, & non antea, uti incipiunt gratiâ prædictâ. Declarans præterea exceptionem positam in Regula favore S.R.E. Cardinalium, & Indulgentiarum conferendi Beneficia reservata concessum Cardinali Episcopo, non suffragari Capitulo ratione communionis, & consortii juxta declarationem felicis recordationis Urbani Papæ VIII. Prædecessoris sui editam die 16. Septembris anno millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, quam Sanctitas sua in omnibus, & per omnia approbat. Decernens sic in præmissis omnibus per quocumque, &c. judicari, debere, ac irritam, &c.

III. Notat autem Chokier loco citato, hoc inter utramque partem esse discrimen; quod prima contineat reservationem & manibus Ordinariorum ligamen imponat; atq; ideo Episcopi & Ordinarii præjudicialis, & detrahens potestati ordinariæ, & corrigens jus commune; & eatenus Regula hæc odiosa sit. Secunda verò pars, dicentem reservationem & vinculum moderetur, & partim relaxat, ac impedimentum remoueat; sitq; Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac aliis Ecclesiis favorabilis; ac proinde etiam *amplianda*; cum innitatur jure communi.

IV. Gratia hæc sive relaxatio reservationis quoad *duos* menses conceditur dumtaxat Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis; idque hodie adeo clarè expressum est in Regula, ut nulla dubitandi ratio suppetat; quamvis olim doctissimum fuerit, quæ madmodum notavit Gonzales ad Regulam 8. Cancelli. *Gloss. 42. num. 2.* ac dein *num. 3.* inserti: hodie cessant Decisiones dicentes, quod Capitulum Cathedralium gaudere poterant *alternativa* mensium; & quod Episcopi tamquam dignior & caput poterit illam acceptare, etiam invito Capitulo. Ratio

, est [ait] quia *alternativa antiqua* non erat restricta ad solos Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos, sicut restringit Regula nostra, sed omnibus Colatoribus concedebatur.

V. Imò cum abbates etiam nullius Diocesis, ac Episcopalem jurisdictionem in suis districtibus exercentes, revera non sint Episcopi, juxta restrictionem modernam ipsius Regule *alternativa* mensium gaudere non possunt.

VI. Similiter si ex statuto, privilegio vel consuetudine Capitulum Sede vacante conferat Beneficia ad collationem Episcopi spectantia, tamen non gaudet *alternativa*; quia tamen si succedat in jurisdictionem Episcopalem non tamen in hæc gratiam, quæ speciatim Episcopis datur, & cum Episcopo extinguitur, ut infra videbitur.

VII. Verum nec omnibus Episcopis hæc *alternativa* conceditur, sed tantum residentibus: quæ conditio in hodierna Regula hæc formula exprimitur: *Ipsi quamdiu apud Ecclesias aut Dioceses suas verè ac personaliter residerint dumtaxat.*

VIII. Hæc verba si propriè & in rigore accipiantur, non obsecrè requirunt *veram ac personalem* residentiam apud Ecclesias aut Dioceses: omnemq; *fiictam* residentiam excludunt; quemadmodum observat Gonzales *Gloss. 43. n. 15.* monetq; dictionem *verè*, omnem dubitationem removere: nam requirit (ait) *veram, realem & actualem* residentiam, & omnem fictionem excludit.

Ponderat insuper quod in Regula occurrit dicitio, *personaliter*; quæ est (ait *n. 23.*) *præcisæ & exigit realem & veram ac personalem* residentiam.

Expendit deniq; particulam *dumtaxat* in Regula expressam, quæ est (inquit) limitativa ad solam residentiam, *am veram & personalem & præcisam*, ac exclusiva fictæ, ac improprie residentiam.

IX. Ex his inferit *n. 26.* quod ad gaudendum *alternativa* *fiicta* residentia non proffit: & quod absens ex justa causa & ad modicum tempus, quod quatuor diebus, non possit frui alternativa in beneficiis tempore talis absentia vacantibus; & consequenter dispositioni Apostolicæ sint reservata.

Aliud namq; est *verè & personaliter* residere, & adesse, se & aliud *verè* abesse, & pro residente haberi, ait *n. 28.* quod & in sequentibus confirmat multis exemplis ex jure petitis.

Conformiter ad hanc Regule expressionem decisum fuisse dicit, quod Episcopus absens tribus mensibus sibi permissis, recreationis causâ, animo redeundi, non gaudeat *alternativa*.

X. Dehinc *n. 41.* dicit anno 1603. contigisse, quod Episcopus Segobienfis, habens *alternativam*, & continuò in sua Diocesi residens, ob adventum Regis Catholici ad locum quatuor dumtaxat milliaribus à sua Diocesi distantem à sua Diocesi ad *duos* dies dumtaxat absuerit, ut Regem in eo loco saluaret, eiq; gratias ageret de nominatione, quam Rex Catholicus de ejus persona fecerat ad Archiepiscopatum Compostellanum; eumq; spatio istorum duorum dierum vacasset Canonicatus in mensse Aprilis, qui est mensis Ordinarii respectu Episcopi gaudens *alternativa*, aliàs reservatus; quæ situm fuit, an Episcopus Segobienfis ex tam justa causa, & ad tam modicam tempus absentem, censendus esset *residens* ad mentem Regule ut *alternativa* etiam eo tempore gauderet.

XI. Et quamvis dubitari nequeat, quin hujusmodi absentia de jure habeatur pro residentia; & Episcopus ita absens habendus sit residens; nihilominus propter dictionem *verè* in Regula positam, quæ omnem planè fictionem excludere videtur, resolvit Gonzales *n. 8.* Episcopum Segobiensem non potuisse uti *alternativa*. Et quamvis (ait maxima æquitatis ratio ad favorem ordinariæ provisionis concurrat, non tamen est recedendum à verbis Regule, quæ licet sit dura, ita tamen est scripta.

